Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2801
Quelle:
Copyright:

eandem fidem operamque *Friderico* addicit. Dein Librum a se editum et *Alberto* destinatum promittit, *quo omnia que cum Grecis* (Florentiae) *religiosissime gesta, tractata, disputata, ac conuenta, conclusa firmataue sunt, adscripserim, nullo addito uel diminuto ex hijs que a die prima, qua aduenerunt, usque ad diem recessus egerunt.* Quo loco adducor, ut credam eum esse *Andream de Sancta Cruce* Patritium *Rom.* et apostolici consistorii Advocatum, cujus *Disputationes* seu *Collationes inter Latinos et Graecos in Gen. Concilio Flor. habitas* e Cod. *Vatic.* eruit *Horat. Iustinianus.* Habentur illae *Collect. Labb. Concc.* T. XVIII. edit. *Venet. col.* 915. conscriptae in modum *Dialogi* inter *Ludov. Pontanum* protonot. apost. et ipsum *Autorem*, qui porro in *epistola* sua *Fridericum* ad protegendam Sedem apostolicam exemplo *Sigismundi* Imp. et *Philippi Burgundiae* Ducis hortatur. Addit: *Nunc christianissimus Rex francie* (in Conventu Bituric. 1440.) *detestatus est nephandissimorum virorum, qui Basilee fuerunt, conatus ac S. D. Eugenio pape obedientiam puram se prestaturum nuncijs declarauit. Taceo reges Castelle et hyspaniarum et portugalie et Anglie et Scocie, qui ut principes christianissimi nunquam a petri sede ac a Romano pontifice hijs in scandalis deuiarunt* &c. Dein contrarium sentientes describit. Epistola nota temporis caret.

XXXVI. *fol.* 309. Variis demum Libellorum supplicum *formulis* in caussis Privatorum *Codex* terminatur, quem ab Homine *Germano*, sed in *Italia*, conscriptum autumo.

DCCLXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 154. f. maximam partem per duas columnas scriptus sequentibus constat: I. rubro: *Incipit optimus tractatus de ymagine dei et hominis.* Impressit Tractatum hunc *Fridericus Creussner Norimbergae* 1480. sub titulo: *Collecta magistralia per aduentum domini de formatione hominis moralis f.* constantem XVI. *Sermonibus*, quorum singulis thema est: *Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram* &c. quique de natura et membris hominis ex ordine physice et moraliter disserunt. *Codex* noster in *Serm.* XIV. ante medium in iis verbis: *tota ipsa temptacio debet appellari Ergo* — deficit. Autorem horum Sermonum olim in *Memorab. Bibl. Garell.* germanice editis *Viennae* 1780. p. 80. 4. dixi *Robertum Caraczolum de Litio* e Franciscano Sodali Episcopum *Aquinatem* et famosum aetate sua oratorem sacrum cum, quod ii cum aliis hujus viri Sermonibus eodem typo expressis eodem continerentur volumine, ut etiam observavit *Röderus* in *Catal. Editt. Norimb. Sec. XV.* tum, quod eos post *Guil. Caveum Vol. II. Hist. lit.* p. 197. etiam a *Maittairio* viderem *Roberto* tribui. Nunc vero rem in 212